



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Officia Propria Ecclesiae Et Dioecesis Paderbornensis

**Asseburg, Wilhelm Anton von der
Paderbornae, 1764**

XXI. Ss. Ursulæ & Soc. MM. dup.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62764](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62764)

plicatio enim intelligentiæ in ipsa varietate ad unum redacta, quasi civitatem facit viventium rationum æternarum. Est enim civitas non quorumlibet animantium, sed rationalium multitudo, legis unius societate devincta. Te Deum laudamus.

Missæ: Os justi. Oratio ut supra. Evang. Homo quidam nobilis, ut in com. post ultimam Missam.

Die IX. Octobris.

SS. DIONYSII ET SOC. MM.

Dup. in Diœcesi Paderb. reliqua ut in Brev. Romano.

Die XXI. Octobris.

SS. URSULÆ ET SOC. MM.

Duplex Diœces.

Omnia de communi Virginum præter propria Ant. ad Magnif. & Oratio ut in Breviario cum Comm. S. Hilarionis.

Lectioes I. Nocturni de Scripturâ.

IN II. NOCTURNO.

Lectio IV.

Ursulam virginem Britannia genuit parentibus Regibus & Christianis,

nis, à quibus ab ipsâ infantia; legibus Evangelicis instituta, brevi ad sanctitatis apicem conscendit, ut, adhuc tenera, Deo virginitatem consecrarit. Sed cum ejus pulchritudinis, & perfectæ virtutis famâ Rex gentilis permotus, eam filio suo, regni hæredi, conjugem posceret; parentem, metu fluctuantem & anxium, divinitus monita, bono jubet esse animo, regiisque postulatis acquiescere, tali lege conjugii constituta, ut, ad virginitatis exercitationem, sibi virginibus undecim millibus assignatis, triennii darentur induciæ; sponsus interim, fidei Christianæ præceptis informatus, salutari baptismatis lavacro ablueretur. Annuit piis Ursulæ votis sponsi pater, & exercitum virgineum, utriusque regni studiis & opibus collectum ei trasmisit, Deo conatus eorum secundante.

Æ Prop-

R. Propter veritatem.

Lectio V.

Voti compos Ursula, tot puellarum millia ad Christi fidem, castitatis amorem, & martyrii lauream præparavit. Et triennio nondum evoluto, cum conscensâ classe, piis exercitationibus in mari pro more suo virgines navarent operam, immisso coelitus vento, navibus per mare delatis in ostia Rheni, prosperâ velificatione Coloniam Agrippinam pervenerunt. Ubi cum Ursula comilitonibus suis nocte proximâ sibi datum oraculum de martyrii coronâ toti societati ibidem loci post reditum ex urbe Romanâ promissâ, fideliter exposuisset; actis Deo gratiis, in eam unanimes coeunt sententiam, ut decursâ peregrinatione Romanâ, coelitus inspiratâ, ad constitutum certaminis locum quàm citissimè revertentur. R. Dilexisti.

Lectio

Lectio VI.

Unde Basileæ relictis navibus, itinere pedestri Romam contenderunt: ibi locis sacris visitatis, se Deo Sanctisque commendarunt; magno facto è Clero Romano, Præsulibus Italiae, & aliis fidelibus, societatis incremento: & conscensis iterum Basileæ navibus, Moguntiam pervenerunt. Sponsus verò, divinitus monitus, cum ibidem virginibus occurrisset, & solemniter cum multis sociis baptizatus esset, Coloniam versus, omnes martyrii promissi cupidi, tunc ab Hunnis obsessam navigarunt. A quibus ob Christi fidem trucidatis immaniter omnibus, tandem Ursula, quòd, Christo datam fidem servans, oblatum impii Tyranni conjugium respueret, ictu sagittæ transverberata, eandem virginitatis & martyrii divinitus promissam coronam obtinuit. Hunnis ve-

10

rò subito pavore diffugientibus, populus Coloniensis sacra martyrum corpora, studiosè collecta, piè & honorificè in locis virgineo sanguine purpuratis sepelivit, ædificata desuper Ecclesia, quam exustam Clematius postea restauravit; cui delatus is honor est, ut nullum exinde cadaver humanum illic tumularint. Ibidem sanctus Cunibertus Episcopus, dum sacrificaret, indicio columbæ sepulchrum, & corpus S. Ursulæ virginis & martyris meruit invenire.

℞. Afferentur Regi.

IN III. NOCTURNO.

Homilia in Evang. Simile est regnum coelorum decem virginibus. Cum reliq. de comm. 9. lect. (ex 2. una) & Comm. S. Hilarionis in Laud. & Miss. Loquebar. orat. cum secr. & postcomm. prop. Epist. Fratres: De virginibus præceptum Domini.

Do.